

DE MUNDO.

5

lia perfectè mixta, sed inanimata, ut Saxa, Marmora, Metalla. Alia quæ animam habent vegetativam, ut Plantæ. Sunt quæ in super sensitivam, ut Bruta: sunt denique in supremo & ultimo rerum compositarum gradu, que præter hæc omnia animam habent rationalem, ut Homines. Nos sua Astronomis, Physicisque relinquentes, Orbem terrarum potissimum considerabim⁹. Terra universa Mari, Fluminibus, Paludibusque variè interfecta, Orbem absolutum cum illis omnibus constituit. Homerus sanè non aliam ab causam eam vocat *orbicularem*. Et Numa Pompilius, idem spectans ædem Vestæ rotundâ consecravit. Neque verò aliam ejus figuram esse posse cum ex gravium ad unum aliquod punctum tendentiũ ratione demonstravit Aristoteles, tum ex Ecclipsis & horologiorũ umbris à Mathematicis probatur. Præterea longis certisq; peregrinantiũ observationibus deprehensum est, longitudines & latitudines locorũ pro intervallis variari, adeò ut & Peræcos, & Antæcos & Antipodas esse certis sit, quàm ut ullâ prolixiore demonstratione ostendendum sit. Hunc Orbem continere, in circuitu, quo maximè patet, gradus 360 antiquitas docuit, idemque recentior asserit ætas, unde si singulis gradibus tribuas milliaria Germanica xv, vel Italica lx, non erit difficile inire rationem ambitus totius Terræ. Ac de Terrâ quidem quatenus ea cum mari Orbem constituit pauca ista sufficiant. Eadè prout ab aquis distinguitur, & in Sacris, *Arida*, appellatur, proprium est Hominum domicilium. Huic uni propter eximia merita cognomentũ indidimus maternæ venerationis. Hæc nos nascentes excipit, natos alit, semelque editos sustinet semper: novissimè complexa gremio jamque à reliquâ naturâ abdicatos desertsque, tum maximè ut mater operit.

*Terra ambitus.*

*Terra qualitas.*

De mari hoc loco aliquid etiam adjiciendum. Mare aliud vocamus Mediterraneum, aliud Oceanum. Oceanus quem Sacrae literæ appellat abyssum aquarum, reliqua omnia suâ vastitate & magnitudine superat, diffunditurque per totam Terram, ac per diversas Mundi oras variarum gentium Littora, Insulas, Promontoria, flexuoso meatu oberrans, nomen cum locis mutat. Alibi vocatur *Occiduum*, alibi *Eous*, *Aethiopicus*, *Hispanicus*, *Atlanticus*, *Scythicus*, *Gallicus*, *Britannicus*, *Germanicus*, *Hyperboreus* & *Glacialis*: alibi ex recentiorum observationibus, *Mare del Sur* sive *Pacificum*, *Archipelagus Lazari*, *Mare Indicum*, *Lantchidal*. *Mare mediterraneum* Africam ab Europâ determinat, & pro regionum situ diversa habet nomina. Neque verò sterile omninò est mare: fert Pisces, fert Plantas, fert Gemmas. In primis notandum est, quàm dædalo artificio natura plerâque omnia quæ aut in terris aut in aère visuntur, voluerit in mari representare. Mitto Elephantes, Porcos, Testudines, Canes, Vitulos, Equos. Mitto Falcones, Hirundines: ipsum Hominem expressit in Equite marino, Sirenibus, Neræidibus, atque etiam in Monacho. Iam Corallus, Margaritæ, Ambra, Succinum, Spongia, aliæque infinita, quem non merito in admirationem trahant & adorationem supremi Numinis? Sed de his hoc loco satis copiosè, ad distributionem Orbis Terrarum accedamus. Terrarum Orbem veteres, nunc in duas partes, nunc in tres sunt partiti. In tres partes distributio, Europam, Asiam, Africam, vel Libyam, maximè celebres apud veteres, quibus novus Orbis nondum innotuerat. Sed inventâ Americâ, eam pro quartâ parte ætas nostra adjecit. Mercator noster, hunc Orbem Terrarum in tres continentes distinguit: Primam vocat quam veteres in tres partiti sunt: secundam quam nunc Americam vocamus: tertiam Terram Australem, sive Magellanicam. Nos verò Orbem universum in quatuor partes dividimus Europam, Africam, Asiam, Americam & Terram Australem.

*Oceanus.*

*Commoditates*

*Maris.*